



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Performarum acceptio qua[n]do sit vitiosa. Et quod in tribus potest esse  
perniciosa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Abolut. ex parte formæ. 17

non potest absolui. Et scito hic religiosum præsumē-  
tem de facto absolueri ab excommunicatione lata à  
iure, incurrere excommunicationem: vt habetur in-  
fra in censuris.

Ab excommunicatione verò minore quilibet cō-  
fessor, non autem quilibet sacerdos, potest absolueri.  
Primum horū patet ex capi. nuper. de senten. excom.  
Secundum verò manifestatur quia excommunicatio  
minor est vinculum Ecclesiasticum, & propterea exi-  
git in absolvente facultatē Ecclesiasticæ iurisdictio-  
nis: purus autem sacerdos habet solam potestatē or-  
dinis: & ideo non potest absolueri à vinculo Eccle-  
siasticæ excommunicationis minoris. Vnde licet qui-  
libet possit se subdere cuicumque sacerdoti pro abso-  
lutione venialium, non tamen potest subdere se cuiq;  
sacerdoti pro absolutione ab excommunicatione mi-  
nore: quia ad venialia remittenda sufficit ex parte ab-  
soluentis potestas ordinis, quæ est in quolibet sacer-  
dote: quia ipsa subiectio operatur iurisdictionem ta-  
lium quantum ad potestatem ordinis. Ad absoluē-  
dum autem excommunicationis vinculum requiri-  
tur potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ nō con-  
uenit sacerdoti, ex hoc quod vnus subdit se illi sed ab  
ecclesiastica pendet autoritate.

Absolueri demū à vinculo suspensionis vel inter-  
dicti, si quando cōfessori committitur, potest vi hu-  
iusmodi verbis, Ego absoluo te à vinculo suspensio-  
nis, &c. Nulla enim sunt determinata verba pro hu-  
iusmodi forma.

*Personarum acceptio quādo sit vitiosa. Et  
quod in tribus potest esse perniciosa.*

**A** cceptio personarum est peccatum, quia tollit æ-  
qualitatem iustitiæ. Est autem peccatum mortu-  
ale, quando est perniciosa. Frequenter verò est perni-  
ciosa

ciosa in tribus, hoc est in distributione communium bonorum, & beneficiorum ecclesiasticorum, & in iudiciis. Quum enim communia regni vel ciuitatis officia, dignitates, seu honores distribuuntur ita quod amicitia, vel consanguinitas, vel factionis, aut alterius impertinentis ratio præfert minus dignos, ruit commune bonum. Nec minus ruina ecclesiæ manifesta est, quum in beneficiis, ac dignitatibus ecclesiasticis minus digni præferuntur: quia amici seu familiares vel conuicti aut seruitores, &c. sunt, vniuersum quoque humanum genus grauissimè offendit, ex eo quod actor aut reus in iudiciis in iure præfertur, quia potens, aut diues, aut amicus, &c. Peccatum hoc non solum animam mors est, sed ad restitutionem obligat iuxta restitutionum regulas: pro quanto iniuste impendit dignum seu digniorem, & præter hoc tenetur acceptator personæ de damnis consequentibus huiusmodi promotiones seu iniurias.

*Peccatum acediæ dupliciter consideratur.  
Et quod bona spiritalia sint bifariam distinguenda.*

**A**Cedia dupliciter sumitur: vel communiter, vt est nomen commune ad multas peccatorum species: vel propriè, vt est speciale peccatum. Et communiter quidem sumpta, significat tristitiam de spiritali bono: propriè autem sumpta, significat tristitiam de spiritali bono diuino, hoc est ad charitatem pertinente.

Ad quorum clarificationem distingue bona spiritalia. Et vide primò spiritale bonum diuinum consistere in amicitia inter Deum & hominem: ac per hoc in idem velle, & idem nolle cum Deo in conuersari cum Deo, in conuiuere & colloqui cum Deo, & huiusmo-